Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 411
Quelle:
Copyright:

dem nomini numero ſubtrahitur littera vel additur. Require Gen. XXIII. et IV. Reg. XVII. Quod autem etiam hebreo accidat hec mutatio probatur per II. Reg. XX. 6. Vbi pro Siba *quod habemus. hebreus habet in ſerie* (textu) ſia. *in margine* ſua. Aliis exemplis facile uti potuiſſet Criticus; neque enim τὸ *Sia* vel *Sua* etiam apud *Kennicottum* ullum extat veſtigium, ſed ſemper שבע legitur. Ad calcem totius Recenſus adſcripta eſt, et opportune quidem *Hieronymi* Epiſtola ad *Sunniam et Fretellam*. Deficit tamen ad *Pſalm.* 139. in verbis: *Sed hic et coniunctio ſuperflua eſt.* Integra legitur edit. *Vallarſ.* T. I. *col.* 635.

VII. *fol.* 232. praecedente *folio*, quod fragmentum cujusdam theologici de *Incarnatione* Tractatus *fol.* 235. continuatum exhibet temere hic inſertum, ſequitur 1) Catalogus *Expoſitorum Biblie*, ordine Librorum. Recentiſſimi hos inter *Herveus Dolenſis* in *Iſaiam*, et *Radulfus*, ut puto, *Flaviacenſis*, de quo ſic ad *Exodum: Rabanus. uel Radulfus. ſicut legi in quadam notula, et non Rabanus.* Interim et *Rabanus* in *Exodum* ſcripſit, et *Radulfus* fortaſſe non niſi Scriptoris errore ad *Exodum* aſcendit a *Leuitico*, in quem ejus *Commentarios* habemus. Ad *Eccleſiaſten* citatur *Aquilinus*, ſed legendum videtur *Alquinus* ſeu *Alcuinus*. Rariores praeterea *Claudius* in *Judicum*, *Ruth* et *Matthaeum*, quem *Taurinenſem* habeo, et *Florus* in Ep. *ad Hebraeos*, qui *Drepanius* ille, ſeu *Magiſter* et Diaconus *Lugdun.* fuerit. 2) CXXXV. Nomina Virorum illuſtrium e Libello *Hieronymi* ſine ullo addito, inſcripta: *Iſta ſunt nomina uirorum illuſtrium qui aliqua ediderunt de ſacra ſcriptura.* 3) Alius Elenchus titulo: *Iſti ſunt XII. uiri electi.* Audiamus. 1. *Auguſtinus ep.* 2. *Hylarius ep.* 3. *Origenes.* 4. *Euſebius ceſarien.* 5. *Eliodorus presb.* 6. *Ambroſius frater.* 7. *Dardanus.* 8. *Paulus.* 9. *Pelaſius.* 10. *Jouinianus.* 11. *Julius.* 12. *Fauonius.* Oppido ignorantem, aut παραδοξον fuiſſe oportet hunc Nomenclatorem. *Pelaſium* putem *Gelaſium* aut potius *Pelagium*, cum *Jovinianus* accedat. Quid vero his cum *Auguſtino*, *Hilario* &c. Quis vero *Paulus*, *Julius*, *Favonius?* Maxime ridiculus *Ambroſius frater*, natus haud dubie ex *Hieronymi* nota ad *Paulinum Epiſtola*, quae incipit: *Frater Ambroſius* &c.

VIII. *fol.* 233. usque ad finem praeclari Codicis, qui non inutilis fuiſſet iis, qui ſub *Sixto* V. *Gregorio* XIV. et *Clemente* VIII. in conſtituenda lectione *Vulgatae* elaborarunt, Fragmenta Variantium in *Prologis* ſaepe dictis *Hieronymi* et *Geneſeos* initio.

CCXLVI.

Codex membraneus lat. Sec. U 8 XIV. Folior. 385. f. max. per tres columnas luculente exaratus, literis initiorum picturatis et rubricis pulcre diſtinctus *Concordantias Biblicas* exhibet, et quidem, ſi *Quetifo* et *Echardo* in *Scriptt. Ord.*